

Dissertatio inauguralis medica de tympanitide ... / exponit Josephus de Flüe.

Contributors

Flüe, Josef de.
Universität Wien.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Viennae : Typis Christiani Friderici Wappler, 1783.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/vn4fvhs4>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

DE

TYMPANITIDE,

QUAM

ANNUENTE INCLYTA

FACULTATE MEDICA

IN

ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE

VINDOBONENSI

PRO

DOCTORATUS LAUREA

PUBLICÆ DISPUTATIONI

EXPONIT

JOSEPHUS DE FLÜE,

HELVETO-SUBSYLVANUS.

Disputabitur in Universitatis Palatio

Hora

die

Menfis

An. MDCCLXXXIII.




V I E N N Æ,

TYPIS CHRISTIANI FRIDERICI WAPPLER.

5.
num 5
grande sup
Museum
vol 11.

D'ha



REVERENDISSIMO

AC

PERILLUSTRI

DOMINO DOMINO

NICOLAUS DE FLÜE

AUREI CALCARIS

EQUITI ETC.

PATRUO OPTIMO

DE

ME STUDIISQUE MEIS MERITISSIMO

SACRUM.

OMI 210 1111



TYMPANITES.


DEFINITIO.

Tympanites est intumescencia totius abdominis, levis & elastica, ad pulsationem sonum edens. Sat improprio nomine vulgo Germanis *Windwassersucht* appellatur. Apud varios Medicos autem varia obtinuit nomina: *Hippocrati* (a) *hydrops ficus & flatulentus* vocatur. *Galeno* (b) & *Tralliano* (c) *tympania* nominatur. *Sennerto* *tympanita* audit. *Frommanno* apud *Bonetum* *tympanias* dicitur.

Wiedel N. p. m. 170. 171. A 3

DIF.

(a) *Coac. præm. Nro. 458. & aph. 4. Nro. 11.*
(b) *Comm. de vita in acutis.*
(c) *Libr. 3.*



DIFFERENTIA.

Differt a meteorismo, quod in hoc adfit intumescencia elastica præcordiorum, non totius abdominis, uti in tympanitide. *Sauvages (a)* etiam in eo distinguit, quod meteorismus fit ægritudo acutissima, & sæpe accidens aliorum morborum; tympanites vero licet doloribus colicis initio saltem stipetur, morbus sit chronicus.

Differt a colica flatulenta, in hac enim volumen totius abdominis minime est adauctum; & morbus est acutissimus in paroxysmo. *Sauvages (b)*.

Differt ab ascite; Imo quod in tympanitide ad pulsationem sonus instar tympani audiatur, qui in ascite non auditur. 2do in tympanitide constanter prominet abdomen versus umbilicum in quocunque ægri situ; quod in ascite non obtinet. 3tio in tympanitide æger ad stateram levis est, cum e contra in ascite ægri ob collectam aquam pondus insigne habeant, *Van Swieten (c)*. *Signum a fluctuatione in cæcum. Wielen. &c. p. 172.*


SE.

(a) Nos. meth. T. 2. p. 514.

(b) ibidem.

(c) Comm. in Herm. Boerh. aph. T. 4. p. 172.
edit. Hildb.

*per humore minori. Wielen. p. 172.
Xilem abdomen ad latera magis compressum ibid.*




SEDES.

Communis olim fuit opinio tympanitidem adesse, dum aër in cavo abdominis hæreret; ut videre est apud *Aretæum*, aliosque veteres auctores, inter quos solus *Duretus* sedem mali non abdominis, sed intestinorum ac ventriculi cavum, fere semper esse statuit. Apud *Schenckium*, *Bonetum*, *Mangetum*, aliosque casuum anatomicorum collectores sedes hujus mali potissimum in cavo ventriculi & intestinorum fuit reperta. Tympanitidem ortam ab aëre in cavo abdominis hærente in dubium revocat *Cel. Littre* (a); cujus sententiam omnino probat *Cel. de Haen* (b). Verum non videtur omnino negari posse, quod tympanites quandoque in cavo abdominis inventus fuerit. Hoc enim revera contigisse legitur apud *Heisterum* (c), apud *Cel. Combalusier* (d), & apud alios. Ast tympanitidem abdominalem rarum esse morbum testatur longa doctus experientia *Heisterus*. Licet *Cel. Lieutaud* (e) moneat non raro aërem in cavo abdominis repe-

A 4

riri,

-
- (a) Mem. de L'acad. R. des scien. 1713. *Wieland*
 (b) Rat. med. part. 2. p. 65. & seq. p. 73 *Wieland*
 (c) Med. chirurg. und. anat. Wahrnem p. 28. *Wieland*
 (d) Pneumato - patholog. p. 33. *Wieland*
 (e) Precis de med. pratiq. p. 362. *Wieland*



riri, sed ordinario simul in intestinis deprehendi. Unicum casum vidit idem auctor (a) in quo aër in solo abdominis cavo continebatur, & intestina aëre non distenta videbantur.

DIVISIO.

Perpensis iis, quæ nunc de sede materiei tympanitidis dicta fuerunt, patet non adeo inepte ratione sedis dividi posse in tympanitidem *intestinales* & *abdominales*. Hæc ab illa distinguitur in eo, quod in eadem sonitus sit evidentior, quam in intestinali; tumor æquabilior ad attactum perceptus; emissio flatuum rarior, ægrumque minus levans; dolores abdominis in hac specie magis ad exteriora referuntur; alvus minus pertinaciter clausa; cum actio intestinorum hic non ita lædatur, uti in prior specie. *Wiet. p. 178.*


Sed præter hæc duas species datur & alia, quæ ab emphysemate intestinorum cæterorumque abdominis viscerum dependere putatur. Vera in intestinis humanis emphysemata observavit *Cl. Duvernoy* (b). Hæc species apud *Cel. Combalusier* (c)

Tym-

(a) Ibid.

(b) Act. acad. Petrop. T. 5. p. 213.

(c) Pneumatopath. Nro. 122. & 152.



Tympanites enterophysodes audit. Dignoscitur ex inæquali tumore abdominis aliunde tympanitici; maxime vero ex conjunctis plerumque pneumatocele, pneumatomphalo (a).

Insuper ratione sedis alia adhuc tympanitidis species ab observatoribus notata legitur: videlicet si ab aëre in utero contento oriatur constans, permanensque tumor levis, elasticus, uteri figuram & sedem referens in mulierum hypogastrio. Hæc species diversa etiam a Medicis obtinuit nomina: *Physometra* a Sauvagio (b); *Tympanites uteri* ab Astrucio (c); *inflatio uteri* a Sennerto nominatur. Hanc speciem in *siccam* & *humidam* dispescunt; prout vel aër solus, vel cum aqua in utero contentus eundem in tumorem elevat. *melan. iv. p. 154. 155. p. 172.*

Inter hæc tympanitidis species solummodo de tympanitide intestinali, utpote omnium frequentissima, hic præcipue fermo erit; alias utpote minus frequentes ob brevitatem, quam tempus & circumstantiæ me observare jubent, hic leviter solum attingere debui.


A 5

SYMP.

(a) Nof. meth. T. 2. p. 516.

(b) Ibid. p. 512.

(c) De morb. uteri L. 2. c. 9.




SYMPTOMATA.

1mo. Incipit plerumque a borborygmis, qui ab aëre a quacunq̄ue causa in intestinis extricato, & subito, post solutum spasmum, locum mutante oriuntur.

2do. Dolores abdominis pertinaces, qui in initio plerumque ad umbilicum, deinde ad totum abdominis ambitum referuntur. Hi dolores a distentis ab aëre contento intestinis plerumque initio tenuibus dependent; malo autem progrediente intestina crassa similiter afficiuntur. Ast malo provento extensis jam valide intestinis, nec amplius se contrahere valentibus dolor cessat, paralyticis jam redditis fibris muscularibus intestinorum. *Miel. l. c. p. 176.*

3tio. His accedit dolor lumborum; si enim valde intumuerint intestina, mesenterium necessario distrahitur; si in tenuibus intestinis malum hæserit, mesocolon vero, si in crassis: verum & mesenterium & mesocolon, uti ex anatomicis notum est, lumbis annectuntur; unde ab horum distractione dolor ad lumbos referatur. Hinc bene notavit Hippocrates (a) *quibus tormina & circa umbilicum labores, lumborum dolor, qui neque medicamento purgante, neque alias solvitur, in hydro-*
pem

(a) Aph. 2. sect. 4. charter T. 2. p. 138.



pem siccum firmatur. Et alibi (a) dolor supra umbilicum, & lumborum dolor, si medicamentis non solvantur, in hydropem siccum desinunt. Inella iv. p. m. 174


4to. Tumor utricularis totius abdominis veniens, ad sensum levis, constanter sursum, & versus umbilicum prominens, percussione facta tinniens, pressus mox se attollens, ructu, borborygmis, & contumaci ut plurimum ventris adstrictione stipatus, a flatibus oriundus. Ita definiuit tympanitidem *Cel. Combalusier (b)* & hæc definitio apprime convenit tympanitidi intestinali; in qua specie abdomen haud æqualiter extenditur, utpote eminentiis pluribus, iisdemque globosis & oblongis inæquale, uti legitur in historia sexennis pueri apud *Cl. de Haen (c)*. Sectio cadaveris ejusdem pueri demonstravit hanc inæqualitatem dependere ab expansis intestinis hinc plus, illinc minus dilatatis & impletis. Aëris enim immensa copia & multum durarum fæcum, eadem explebant. (d). Tumor hic quandoque in magnam molem assurgit, deinde absque ulla
eva-

(a) Coac- præn. Nro. 305. charter T. 8. p. 869.

(b) Pneumatopath. p. 23.

(c) Rat. med. T. 4, c. 3, p. 60.

(d) Ibid. p. 61.



evacuazione facta gradatim subsidet, ita tamen ut nunquam penitus detumescat, uti notatum legitur in historia puellæ 22. annorum (a); idem quoque legitur in historia pueri sexennis supra citata ex *Cel. de Haen.*


5to. *Pertinax alvi constipatio*; quæ notatur in historiis pueri & puellæ mox citatis, & in definitione *Cl. Combalusier* superius allegata legitur. Alvus autem ut plurimum in hoc morbo adstricta manet, cum intestina ab aëre distendente distracta aut ita debilitentur, ut functiones suas exercere amplius nequeant, aut paralytica plane reddantur. Hanc ob rationem collectæ, retentæ, induratæ fæces, tactum exhibent, quasi pilas protuberantes variis in locis, præcipue in utroque abdominis latere (b). Tumores illi cum tumoribus schirrosis glandularum abdominalium minime sunt confundendi.

6to. *Urina in malo provecto parca*; distenta enim & inflata multum intestina comprimunt renes & ureteres, ita ut secretio & excretio urinæ turbetur. *Smithen IV. p. 174.*

7mo. *Difficilis respiratio*, dum nempe immaniter distento abdomine cavum thoracis arctatur, uti in sexennis pueri paulo an-

(a) Med. essays T. 1. Nro. 31. p. 296.

(b) Med. essays loc. supra cit.



ante memorati casu contigit, idem notavit etiam Hippocrates (a) dicens: *orthopnæam facit hydrops siccus.* *Millen iv. p. m. 174.*

CAUSÆ.

Imo. Proxima.

Est vis contractilis intestinorum ita imminuta, ut aëri in iisdem expanso cedere debeant, sicque magis magisque dilatari. Si enim ita perierit vis contractilis intestinorum, ut plane sit iners; si continuo a prava diæta intestina distendantur, distentaque maneant; erit demum ex proegumena & praeatarctica causa combinata, causa proxima nata, nempe ipsa tympanites (b) Cl. de Haen.


2do. Remotæ.

A. PROEGUMENA.

Consistit in imminuta vi contractili intestinorum; aër in tubo alimentari contentus nitens distrahere intestina, dum rarefcit, & vis contractilis intestinorum, quæ dilatationi huic resistit, tanquam binæ
po-

(a) Nro. 424. Charter T. 8. p. 877.

(b) Rat. med. T. 4. c. 3. p. 65.



potentiæ sibi invicem oppositæ a *Cel. Lit-
tre* (a) fuerunt consideratæ. In sanitate
vis contractilis intestinorum prævalet. Si
vero a quacunque causâ debilitatur vis,
qua intestina contrahuntur, cedent aëri se
expandenti, sicque poterit nasci tympani-
tes. Unde post morbos longos debilitatis
solidis corporis partibus sequi solet; hinc
viri hypochondriaci & fœminæ hystericæ;
nephritici & podagrici; ii, qui alvo segni
laborant, & quorum sanguinæ evacua-
tiones suppressæ sunt, maxime flatulentiis
& tympanitidi, quarum hæc ultimus gra-
dus est, sunt obnoxii (b).

B. PROCATARCTICÆ.


Frequentiores sunt *Imo. Ingesta cru-
da, flatulenta.* Demonstravit *Cel. Hales*
(c) aërem inhærere corporibus, & nota-
bilem sãtis partem molis eorundem consti-
tuere; eundemque aërem denuo inde se-
parari, quando partium inter se nexus
per ignem, fermentationem, putredinem,
effervescentiam, aliasve causas tollitur
vel minuitur: monstravit pariter aërem,
se-

(a) Mem. de L'acad. R. des scien. 1713.

(b) Lieutaud precis de med. pratiq. p. 369.


(c) Vegetable statick. Chap. 6. p. 309.

*Miet: 374
175*



separatum a corporibus, elasticum reddi, atque denuo ab aliis corporibus resorptum elasticitate privari. Observavit etiam, vapores aqueos elasticitatem minuere, five ex pura aqua nati sint, five ex animalium corporibus exhalent. Si jam consideratur digestionis tempore resolvi alimenta; quædam ex illis in fermentationem, alia in putredinem vergere; necessario sequitur aëris separatio ab ingestis; qui nisi iterum resorbeatur, & privetur sic elasticitate per vapores calidos, ex arteriis ultimis in cava ventriculi & intestinorum exhalantes, distendet hæc viscera, & quidem tanto magis, quanto plus aëris ingesta continebunt, & quanto hæc viscera minus firma erunt, adeoque expansioni aëris minus resistere poterunt.

2do. *Spasmi hysterici.* Acre irritans intestinum sic potest stringere intestini locum, cui applicatur, ut nihil transire possit; quod dum in pluribus locis simul fit, interceptus aër expanditur, & intestini cavum dilatat quam maxime. Idem in hysteriis & hypochondriacis ab animi affectibus fieri, omnibus notum est. Ast si similes causæ vel validissimæ fuerint, vel frequenter repetitæ, aut diuturnæ, perit vis contractilis intestinorum, vel saltem adeo debilis fit, ut aëris rarefactio semper prævaleat, & tunc tympani-



nites adest, qui *Tympanites spasmodicus* audit (a).

3tio. *Defectus bilis.* Boerhaave (b) post veteres docuerat ex defectu bilis in intestina delatæ facile tympanitidem nasci; idem observatione confirmavit *Cel. de Haen* (c). Bile enim deficiente, intestinis deest necessarius, quo & agant, & se exonerent, stimulus. Ergo expanduntur; & perseverante, aut continuo repetente, eadem expansione, fibræ eorum demum fere paralyticæ fiunt, nec nisi duplicata vi respirationis, aut validorum purgantium stimulo, commoventur ad evacuationem. Evacuata autem hæc intestina vix concidunt, quum vi contractili amissa, mox aëre extendantur, facibus dein tempore accumulatis, immanius turgeant, atque ita ad exonerandum sese, vi indigeant validiore, quam antea. Hinc patet, quare non raro icterum tympanitis excipiat.

4to. *Febres intermittentes male curatæ.* Casum sexagenariæ hysteriæ per hydragoga & kinkinam sanatæ, cui postea tympanites supervenit, refert *Cel. Sauv-*
va-

(a) Pomme essay sur les vapeurs obs. 14. 15.

(b) Iustit. med. §. 817.

(c) Rat. med. T. 4. c. 3.

vages (a). Alius alibi (b) legitur casus puellæ post febrim tertianam male tractatam Tympanitidis morbo affectæ. Forte ob natas a mala medela hepatis obstructions, indeque natum in intestinis bilis defectum.


5to. *Iteratæ colicæ & Ileus*. Observationem tympanitidis post ileum natæ refert *Cel. de Haen* (c). Nec captu difficile, quare post ileum sequatur tympanitis. In ileo enim cum alvus diu pertinaciterque clausa maneat, intestina ita distenduntur, ut, debilitata vi contractili, aëri in intestinis expanso cedere debeant, sicque tympanitidem exhibere. Colicæ iteratæ ob spasmos concomitantes, diu durantes, aut sæpe repetitos, tympanitidem excitare possunt. Vide supra Nro. 2.

6to. *Inflammatio intestinorum*. In eorum enim inflammatione, pars intestini, quæ loco inflammato altior est, immaniter distenditur, inflatur, dilaceratur, cum dolore acutissimo: verum nimia distractio rupturæ proxima pro effectu suo relinquit debilitatem nimiam. Imo dolor ingens diuturnus, & quidquid distrahendo aut

(a) Nos. meth. T. 2. p. 517.

(b) Med. essays loc. supra citat.

(c) Rat. med. T. 2. p. 517.



distorquendo nervos lædere potest, paralyfin inducere valet (a). Inducta autem per nimiam distractionem aut nimia debilitate, aut paralyfi intestinorum, eorundem actio muscularis ita enervabitur, ut vim aëris sese expandentis cœrcere nequeat. *Millin iv p. m. 173. 174. 175.*

7mo. *Vermes.* Unde oritur tympanites *Cel. de Meyserey (b)*; estque ille, qui febres verminosas sæpius comitatur, aut qui a vermibus fovetur. Distinguitur hæc species ab aliis per signa vermium.

DIAGNOSIS. *id. p. 8.*

Hanc determinat *1mo* Causæ prægressæ tympanitidi præsertim efficiendæ idoneæ. *2do* Symptomata soli tympanitidi propria. Quamvis omnia symptomata superius enumerata suam conferant symbolam ad formandam diagnosim, præcipua tamen, notante *Ill. van Swieten (c)*, sunt hæc bina: si abdomen percussum instar tympani resonet, & si æger ad stateram levis sit.


*Diagnosis utriusque speciei id. Millin
iv. p. 178.*

PROG.

(a) H. Boerh. aph. 1060.

(b) T. 3. Nro. 592.

(c) T. 4. p. 172.



PROGNOSIS.

Imo. Periculosus admodum est morbus. Unde *Aetius* dixit: *est autem tympanites omnino periculosus, minus eo ascites: adbibetur enim in eo pertusio sive punctio, quam græci paracentesin appellant, & reliquis quoque remediis promptius, quam ille, obedit.* *Cel. Lieutaud* (a) declarat tympanitidem morbum semper formidandum, quandoque longissimum, & ad remedia æque rebellem ac asciten. Curatu semper difficilem morbum esse notant *Van Swieten & Sauvages.*

2do. Curatio impossibilis est, si nervorum mesentericorum & mesocolicorum paralytis sit irreparabilis; etenim in hoc casu, licet omnis aër ac fœculenta materies expulsa fuerit, causa tamen assiduo renascens, dat, cum hac perseverante prægumena, semper novam causam proximam. Ita *Cel. de Haen* (b). Absolute incurabilem tympanitidem amisso ab enormi dilatatione intestinorum tono pronunciat *Cel. Lieutaud* (c). Hinc


B 2

3tio.

(a) *Precis de med. pratiq.* p. 361.

(b) *Rat. med.* T. 4. c. 3. p. 66.

(c) *Loc. supra cit.*



3tio, In tympanitide jam adulta si nulli flatus exeant, nulli borborygmi audiantur, malum est. Horum enim absentia denotat paralyticas jam esse redditas fibras musculares intestinorum, vel saltem per morbum sic mutatas, ut functionibus suis exercendis sint impares. Pro bono autem omine habetur, si borborygmos percipiat æger, cum signum dent intestina recuperasse, vel nondum penitus saltem amisisse vim se contrahendi; unde postea copiosissimi flatus expelluntur, & tunc subsidet abdomen satis subito, licet quandoque postea intumescat denuo, donec tandem idoneis remediis adhibitis, intestina debitum robur acquirant, non amplius redeunte abdominis tumore: quemadmodum contigit puellæ post febrim tertianam male curatam tympanite correptæ (a): huic datis purgantibus fæces eliminabantur; sed vix aliquid flatulenti; & parum mutabatur abdominis tumor: varia tentantur remedia externa, & interna, sed vix ullo cum successu: alvus semper erat stricta, flatus nulli exhibant. Tandem inceperunt murmura & borborygmi in abdomine; aliquid sanguinis exivit ano; antea enim hæmorrhoidum fluxum passa fuerat; postea per biduum flatus sursum & deor-

(a) Med. essays T. 1. Nro. 31. p. 296.

deorsum tanta cum vi exhibant, ut nemo ægrorum in eodem nosocomio decumbentium tolerare potuerit; abdomen detumefcebat, & reddebatur mollius; pergebat flatuum explosio, & quamvis tumor abdominis subinde rediret, datis corroborantibus adeo convaluit, ut duris laboribus ferendis par esset, & integra postea maneret sanitas; licet plerumque nudis incederet pedibus, validos labores perficeret, nec exquisito victu uteretur. *Mielu.*

4to. Conjunctus cum ascite tympanites malus. *Aræteus* (a) omnes hydropes malos pronunciavit; sed longe peiorem illorum permissionem dixit. Hac conjunctione difficiliorem tympanitidis curam reddi notavit etiam *Cel. Lieutaud* (b). Et non sine ratione; etenim si tympanites asciti jungatur, vel erit tympanites abdominalis ab aëre ex putrescentibus aquis extricato & abdomen distendente, cujus signa alibi dicta sunt; vel erit tympanites intestinalis ortus a debilitatis intestinis per longam macerationem in aquis cavo abdominali contentis. Jam qualiscunque fuerit species tristem semper prognosim facere debet prudens medicus.


Mielu iv. p. 178.

B 3

5to.

(a) De causis & signis morb. diut. l. 2. c. 1.
p. 49.

(b) recis de med. pratiq. p. 361.



5to. *In hydropicis siccis urinæ stillicidia mala. Malæ etiã urinæ parva sedimenta habentes Hippocrates (a):* hæc enim designant ventriculum & intestina inflata sic comprimere renes & ureteres, ut secretio & excretio urinæ turbetur. Sed & ab eadem causa, si tympanites diu durat, certo huic jungitur ascites notante *Cel. Lieutaud (b).*

6to. Tympanites ortus ab atrabile turgente, ab intestino a vermibus perforato, a gangræna intestinorum, lethalis ab omnibus pronuntiatur. *Smellin l.c. 178.*

CURA.

INDICATIONES,


Sunt *Imo* si ob atroces a distractione dolores orta fuerit, aut immineat, inflammatio intestinorum, hanc imminentem præcavere, aut jam præsentem tollere.

2do. Si alvus, ut plerumque contingere in hoc morbo solet, fuerit constipata; indicatio est eandem referare. Hisce duabus indicationibus cura pallians absolvitur.

3tio.

(a) Nro. 453. charter T. 8. p. 369.

(b) Loc. supra cit.



3tio. Indicatio est collecti in cavo intestinali aëris elasticitatem destruere, & demum huic quemdam exitum parare.

4ta. Deinde indicatio est debilitata a distensione intestina roborare.

Primæ indicationi satisfit per venæ sectionem, quam in initio, ob dolores, calorem, tensionem, instituendam esse laudet *Sauvages* (a). Profunt quoque in eundem scopum emollientia ore assumpta, & ano forma clysmatis injecta. Notavit etiam *Ill. Van Swieten* (b), quod sanguinis missio sæpe usum habeat, ut nata jam inflammatio in distentis flatu partibus, vel vicinis ab iisdem compressis, tollatur, vel caveatur futura. Ast largam subitamque venæ sectionem eo solo scopo factam, ut spasmi in initio hujus morbi præsentis tollantur, reprobatur; cum ab hac sola causa convulsio nasci possit (c).

Secunda indicatio erat alvum Constipatam referare. Hoc autem obtinetur, dum morbus recens est clysmatis laxantibus; & purgantibus mitioribus: qualia sunt manna tamarindi, oleum amygdalarum, & similia. *Sauvages* monet cavendum hic esse a catharticis, nisi mitiora


B 4

sint.

(a) Nos. meth. T. 2. p. 514.

(b) Comm. in Boerh. aph. T. 2. p. 243.

(c) Ibidem.



Müller IV. p. 276.
 sint. *Cel. Hofmannus* etiam suspectum habuit acriorum purgantium stimulum; laudat enim pilulas purgantes cum anodynis maritatas, dum simul ventrem camphora oleo amygdalarum soluta inungi jubet. Vera quidem hæc sunt, si morbus recens sit, metusque inflammationis & dolores adsint, aut si non turgeat tota intestinorum series, sed hinc inde constricta sint intestina; a validioribus enim catharticis non sine ratione metuitur tunc major constrictio in locis intestini coarctatis. Ast inveterascente morbo, & calore, spasmò, dolore imminutis, tunc cathartica fortiora, resolventia, ac tonica tutius agunt. *Cel. Sauvages.* In eodem casu ad alvum referendam conveniunt etiam enemata irritantia, usque ad fortissimum; imò ipse fumus tabaci, quem etiam incassum adhibuit *Cel. de Haen (a)* in viro tympanitico a triennio, gravi demum ileo affecto, qui intra triduum exspiravit.

Tertia indicatio erat collecti in cavo intestinali aëris elasticitatem destruere, & demum huic quemdam exitum parare. Huic indicationi satisfacit variis auxiliis tam externis, quam internis, inter auxilia interna, huic scopo inservientia, plurimas,

lau-

(a) Rat. med. T. 2. p. 65.

laudes meruit spiritus sulphuris per campanam, quem fortuitus casus practicus docuit insigniter in hoc morbo prodesse (a). *Grembsius* purgantibus hydragogis frustra tentaverat curare hunc morbum, postea fomentum ex urina pueri, & lapide prunellæ imperaverat, vix ullo modo sperans de sanatione morbi. Tandem petiit æger remedium, quo sitim intollerabilem lenire posset. Habebat Medicus præ manibus spiritum sulphuris per campanam, ejus portionem dedit instillandam aquæ fontanæ. Sitis non tantum sedata fuit inde, sed flatus copiosissimi eruperunt, venter detumuit, & integræ sanitati fuit restitutus. Demonstravit *Cl. Hales* (b) sulphuris vaporem absorbere potentissime aërem, sive ejus elasticitatem insigniter minuere; sed spiritus sulphuris per campanam nihil aliud est, quam vapor sulphuris condensatus; ergo huic scopo satisfacere poterit. Si enim intestina nondum omnem suam vim perdiderunt; simul ac aëris elasticitas hoc remedio minuitur, vis contractilis intestinorum prævalere incipit, & flatus expellit. Atque hoc contigisse videtur in casu memorato, dum spiritus sulphuris

B 5

per

(a) *Combalusier Pneumatopath.* p. 455.

(b) *Vegetable Staticks Chap. 6.* p. 226.



per campanam cum aqua copiosa fuit exhibitus.

Insuper ad expellendum in intestinis aërem contentum commendantur a Medicis remedia sic dicta carminativa, interne & externe, adhibenda: qualia sunt chamomilla, melissa, mentha, anisum vulgare & stellatum, anethum, carvum, cuminum, coriandrum, fœniculum, & multa his similia, quæ ipsa in substantia, aut quorum præparata variis formis interne propinantur, & externe applicantur. Hæc & similia grata aromata videntur agere, fibras intestinorum leviter irritando, spasmos leniores excitando; siquis enim spiritum anisi, aliumve aromaticum, sumpserit, brevi ructum edet, licet antea nullos omnino flatus senserit; unde apparet leni irritatione hæc prodesse posse, ut facti jam spasmi solvantur, dum ab iisdem assumptis leniores, & illico fere evanidi spasmi excitantur. Viderat enim *Ill. Van Swieten* (a) in vivis animalibus dissectis, dum irritaret leniter intestina, spasmus fieri in loco irritato, vel aliquando in loco vicino: ubi, vero in alio loco similem irritatiunculam fecerat, vidit priorem spasmus cessare, & ipsi similem alio in loco nasci. Inter Carminativa non
im-

(a) Comm. in Boerh. aph. §. 650.


immerito primum locum obtinent acida mineralia dulcificata; verum neque hæc, neque alia sunt exhibenda, nisi absente omni inflammationis metu, evacuatisque apto remedio intestinis.

Adhibitis incaffum laudatis nunc remediis, aquam, glacie aut nive frigidissimam redditam, abdomini applicuerunt Medici, & simul potandam dederunt felicissimo cum effectu. *Hippocrates* (a) triginta urceos aquæ frigidæ effundi iussit supra corpus mulieris robustæ, quæ a sumpto medicamine ventre intumuerat cum dolore, dyspnœa, animi consternatione; huic ex aqua frigida nec dolor, nec dyspnœa remiserant; quinquies mortua visa est, hac affusione frigidæ sublevata fuit, bilem copiosam dein deiecit, & vixit. Sexagenariæ hystericæ a quartana per hydragoga. & kinkinam sanatæ supervenit tympanites cum dolore. Fetus frigidi, aqua nive frigefacta, serum lactis, clysmata ex oleo, dein diarrhæa biliosa, flatus multos emittens, abdominis tumorem & dolores sustulere; lac asininum curam absolvit. *Sauvages* (b). *D. Rast* fomento ex aqua frigida, dein vero gelida, duos tympaniticos Lugduni sanatos

vi-

(a) L. 5. epid. obs. 18.

(b) Nos. meth. T. 2. p. 517.



vidit. Præmissis frustra nunc laudatis remediis, momente *Sauvagesio* (a), mire convenit intus aqua gelida; imo frustula glaciei sunt voranda ad condensandum flatum. Certe frigus tale subitum stringit partes solidas, & simul minuit flatuosæ materiæ expansionem, sicque volumen aëris distendentis minuendo, & intestinis robur addendo, prodesse potest. Simul ac autem abdomen subsidere incipit, fasciis circumductis firmandum esse suadet *Ill. Van Swieten* (b), ut non tam facile ventriculus & intestina dilatari denuo possint, sed resistant rarefactis vaporibus, qui per illorum cava oberrant.

Veteres in illa opinione fuerunt, cucurbitas ex profundo corporis aërem extrahere: si enim de cucurbita habet *Celsus* (c): *ubi inhæsit, si concisa ante scalpello cutis est, sanguinem extrahit; si integra est, spiritum. Ergo ubi meteria, quæ intus est, lædit, illo modo: ubi inflatio, hoc imponi solet. Galenus* (d) jam monuerat per cucurbitas illico dolores a flatulento spiritu ortos tolli, ac si incanta-

ta-

(a) Ibidem.

(b) Comm. in Boerh. aph. T. 4. p. 276.


(c) Lib. 2, c. 11, p. 83.

(d) Lib. 12, meth. med. C. ult. charter T. 10.
p. 456.

tamento hoc fieret. Verum hunc effectum non præstant aërem ex abdomine extrahendo; sed videntur eundem præstare, dum humorum copiam & impetum in illum corporis locum, cui immediate adhærent, derivant, sicque a vicinis partibus avertunt; simul etiam nervi, per partem cucurbitæ suppositam dispersi, irritantur & dolent sæpe; atque ita solvi possunt spasmi in aliis locis nati.

Si autem nullis remediis cedat tympanites, an punctura locum habet? si tympanites abdominalis foret, cum ille plerumque putredinis soboles sit, facile apparet, tunc parum sperari posse. Levabitur forte æger a molesta tensione; sed, manente putrido fomite, renascetur tympanites. Nec fasciæ hic quidquam juvare poterunt; si enim regeneretur elasticus aër in cavo abdominis, summas anxietates faciet, nec poterit ferri ab ægro abdominis compressio. Attamen si irritis omnibus auxiliis æger cruciatibus in ambitu abdominis torqueatur, qualem olim se vidisse meminit *Sauvages* (a), alias vegetus sit, nec putredinis in primis viis sint indicia, unicum solatium ex paracentesi expectandum credit, hancque olim non adhibuisse illum pœnituit. Quippe
mi-

(a) Nos. meth. T. 2. p. 516.



mifera mulier, ad quam accerfitus fuerat, ita cruciabatur tympanitide, ut adhuc integris viribus, facie rubens, mediæ ætatis, mente constans, nullis remediis internis sublevata, eadem die, qua illam inviferat, fato functa fit.


Mortuus est quidam vir tympaniticus brevi post paracentefin, cujus rei testis fuit *Helmontius* (a). Verum editus flatus immense putridus, & cadaver olebat, quod gangrænam viscerum arguebat, in quo casu paracentefin nihil prodesse supra dictum est, licet forte bono cum effectu in casu *Sauvagesii* fieri posset; quin imo *Cel. Lieutaud* credit multos ægros periisse, qui hoc auxilio servari potuissent. Hæc dicta sint de paracentefi instituenda in tympanitide abdominali.

Si vero non in cavo abdominis, sed in ventriculo & intestinis, hæserit aër, non poterit punctura viam aëri facere, nisi pertundantur hæc viscera. An autem hæc pertusio hic locum habere poterit? equidem Chirurghi intestinum, per parvum foramen, egrediens, aëre distentum, ita ut reponi non posset, acicula pertuderunt, ut collapsum refundere possent; neque aliquid metuendum videtur ab his vulnusculis; nam flatu exploso contrahetur in-

te-

(a) Cap. ignotus hydrops p. 416. ad Nro. 44.


Wielm. ju. p. 172.



testinum, & disparebunt tales aperturæ parvulæ, nihilque contentorum intestino per illas poterit egredi. Tales intestini puncturas se felici cum successu instituisse dicit *Paræus* (a). Verum hæc vulnuscula minima erant, & contracto postea intestino disparere debebant integre; quod certo non possumus sperare in tympanitide; quin majori acu opus est ad paracentesin abdominis, cum sæpe una cum aëre adesse soleat aliqua aquæ copia, & intestina, tamdiu aëre distenta, multum sæpe amiserint de vi sua contractili; adeoque metuum foret, ne ex tympanitide intestinali, sequeretur abdominalis, & possent per foramen intestino factum in cavum abdominis delabi contenta intestinorum, quæ corrupta dein nova & immedicabilia mala producerent. Ex quibus apparet paracentesis inutilitas in tympanitide intestinali. Equidem *Cel. Lieutaud* credit etiam paracentesin tentari posse, si flatus in primis viis contineantur. Ast incertæ sane opus alexæ foret hoc tentare; sed ubi certa perniciēs imminet, anceps remedium experiri licet, acerbo prognostico præmisso, ut famæ Medici consulatur. Eadem methodo, & iisdem cum cautelis, deberet tunc paracentesis institui, ac in ascite.

Acus

(a) Lib. 10. Chap. 36. p. 156.




Acus triquetra tamen deberet esse minoris diametri, ut parvum vulnus tantum inflingeretur intestino, ut eo certius & citius occluderetur.

Quarta indicatio erat debilitata intestina corroborare. Id autem obtinebitur remediis roborantibus stomachicis v. g. elixirio stomachico D. V., liquore viscerali, & similibus.

Quoniam tamen sunt varietates hujus morbi, in quibus prædominatur vel acidum, vel glutinosum, vel atonia, pro diversis hisce conditionibus diversa auxiliorum genera sunt prioribus addenda, quæ videsis apud *Cel. Combalusier* in *Pneumato-pathologia* Nro. 355.





tractilem superans, utraque
conjuncta causam proximam
constituit.

IV.

Tympanitidi non raro jun-
gitur ascites, qui ejus curam
difficiliorem reddit.

V.


In tympanitide adulta, si
nulli flatus exeant, nullique
borborygmi audiantur, mala
est prognosis.

VI.

Tympanitis, si adsit irre-
parabilis intestinorum paralyfis,
insanabilis est.

VII.

V. S. quam Hipp. tympa-
nitidem solvere ait, non con-
ve-



venit, nisi adfit præsens inflam-
matio, aut proxime futura me-
tuatur.

VIII.

Larga subitaque v. s., quam
quidam ad spasmos solvendo
commendant, hic est repro-
panda.

IX.

Inter remedia aeris elastici-
tatem minuentia, flatusque pel-
lencia, spiritus sulphuris per
campanam primas laudes mere-
tur.

X.

Carminantia sic dicta reme-
dia spasmos in uno loco exci-
tando, & alios alibi solvendo,
flatus pellere videntur.

XI.



XI.

Paracentesis in tympanitide intestinali est remedium anceps, periculofum, & plerumque inutile.

XII.

Ast in tympanitide abdominali, nisi a putredine orta fuerit, aut intestinorum perforatione, locum quandoque habere poterit.

